IS QVI DE SE CONFESSVS EST in caput alterius non torquebitur. L. Repeti. ff. de quæſt.

IAm fera perpeſſus repetitæ tormina pœnæ:
Quam ſine fine putat, ſi ſine fine ſilet;
Multa dolens, iuſtaque furens Sempronius ira,
Ingemit, & tales fundit ab ore ſonos:
Non ego, quam primò memini ſperâſſe, ſalutem
Nunc peto: non vitæ tempora longa meæ.
Sed neque crudeles cupio miteſcere pœnas:
Nec properare citam per mea vota necem.
Et fateor, (nec iam prodeſt delicta fateri)
Et nunc alterius, non mea, facta gemo.
Dic mihi, Modeſtine, quid hîc decernere poſſim?
Dic, precor, hac ſpecie quid ſibi iura velint?
Vix ſua, vix extorta malo confeſſio damnat
Autorem, nec habent verba coacta fidem.
Scilicet in ſocios ea vox expreſſa valeret,
Quam vix in dominum iura valere ſinunt?
Ah quot, & heu quàm falſa, malo cogente, fatemur?
In ſe mendaci pœna furore ruit.
Quis non alterius redimat ſua damna dolore?
Et quem non peraget lingua coacta reum?

Ergo, de proprio confeſſum crimine, iura
Torqueri prohibent in caput alterius.

TESTIS PECVNIA CONDVCTVS, ad veritatem dicendum, quamvis vera dicturus, non admittitur. L. Teſtium fides, ff. de teſt.

IPſa nitore ſuo, nullos mentita colores,
Attrahit invitos ad ſua vota fides:
Lucis amans, nullos occultans veſte receſſus:
Turpia quò condat munera nuda ſinum.
Scilicet officium precio præſtare iubebis?
Maior erit lucri, quàm pietatis, amor.
Et tibi ſancta fides, non quòd ſit ſancta, placebit;
Sed quòd ſit dives, quòd dare multa velit.
Nam ſeu falſa putes vana mendacia lingua;
Sunt, etiam accepto munere, falſa tamen.
Sive putes verum, foret id ſine munere verum:
Ipſa petunt vocem iura, fidemq́; tuam.
Adde quòd acceptum dicturus vera per aurum,
Non ſine iure tibi detrahis ipſe fidem.
Et quam nulla movet ſancti reverentia veri,
Sponte laboranti teſtis vt eſſe velit;
Quis non venalis metuit periuria linguæ?
Quis non empta putet verba carere fide?
I nunc, & precium vetitosq́; paciſcere nummos:
Vt levior tantâ ſit tibi parte fides.

Ergo venalem numerata pecunia vocem
Elevat, in Dominum pernicioſa ſuum.